

qui de novo peccat: si particulare, ergo de novo peccans jam non amplius dolet de omnibus; ergo non habet sufficientem dolorem. Praeterea dolor universalis de mortalibus et venialibus non revocatur per solum veniale, quia licet ex eodem motivo conceptus sit de utrisque, inaequaliter tamen fertur in venialia et mortalia; haec enim magis detestamur tanquam magis displicentia Deo, quam illa. Ita *Lugo* et *Tamb.*

Dolor de venialibus ex motivo universali elicitus revocatur per veniale aequae grave vel gravius; quia dum quis eodem modo, vel gravius venialiter peccat, non censetur amplius curare motivum, ex quo de praecedentibus doluerat: ergo prius motivum non amplius influit in actum doloris. Dixi, *ex motivo universali*: qui enim ob particulare et in uno tantum veniali reperibile motivum doluit, non revocat dolorem per veniale aliud, in quo illa ratio non reperitur. Vide de his *La Croix* l. c. a n. 714. In praxi, si quis post elicitum dolorem iterum leviter peccet, novum eliciat dolorem.

510. II. Qui confitetur tantum venialia, nihilominus debet de iis dolere. Scriptura enim et Concilia generaliter ad peccatorum remissionem requirunt dolorem, non distinguendo inter gravia et levia; neque ullum peccatum remittitur, quamdiu manet voluntarium, et non debite retractatum. Dolor tamen de venialibus non debet necessario esse universalis: quamvis enim sine dolore nullum remittatur peccatum, quia tamen venialia non per infusionem gratiae, sed per condonationem extrinsecam remittuntur, hinc potest remitti unum, de quo quis dolet, quin remittatur alterum, de quo quis non dolet.

CASUS III. De proposito.

Kilianus graviter aegrotus confitetur: Fovi rancorem atque vindictam in animo: item a juventute nimium addictus fuit foedissimae turpitudini. Doleo de omnibus peccatis meis, quia iis Deum summum bonum offendi. Confessarius postquam speciem ac numerum peccatorum extorsisset, quaerit, an etiam habeat propositum? respondet poenitens, hoc dolori inclusum esse. Urget Confessarius, quale habeat propositum? reponit Kilianus: Si mihi ex hoc morbo e vita migrandum sit, inimico libenter ignosco; si convalesco, par pari referam; a turpi vero consuetudine abstinere vix potero.

511. Q. I. An ad confessionem requiratur propositum formale et expressum? R. cum *Suarez* de Poenitent. D. 4. Sect. 3. Assert. 1. *Per se* loquendo ad consequendam gratiam et remissionem peccati in confessione necessarium est formale propositum, quo quis per expressum voluntatis actum peccata vitare statuit. *Est haec sententia securior, et ita populo praedicanda*, ait *Suar.* cit. l. *Prob.* 1. *Ezech.* 18. 31. ait Dominus: *Projicite a vobis omnes praevaricationes vestras* (per verum dolorem, et detestationem iniquitatum) *et facite vobis cor novum, et spiritum novum* (scilicet per serium propositum non peccandi de caetero). Item *Apocal.* 2. v. 5. *Age Poenitentiam, et prima (sive nova) opera fac.* Quibus verbis nova vita ad poenitentiam exigitur: atqui non exigitur nova vita, ut actu exercenda, cum pendeat ex futuro tempore: ergo exigitur ejus propositum praeter dolorem de praeterita vita. *Prob.* 2. *Trid.* sess. 6. C. 6. in dispositione ad gratiam loquitur aequae expresse de proposito inchoandi novam vitam et servandi divina mandata, sicut de odio et detestatione peccatorum: et sess. 14. C. 4. agens de Poenit. Sacram. docet, contritionem esse *dolorem animi ac detestationem de peccato commisso cum proposito non peccandi de caetero*. Ergo sicut veteris vitae odium scilicet dolor ac detestatio debet esse formalis: sic et novae vitae propositum debet esse formale. *Confirm.*

Unus ex praecipuis finibus poenitentiae est emendatio vitae praeteritae, ad quem nullus actus aptior est, quam serium et expressum propositum: ergo merito praecipitur formale propositum. Vide *Bellarmin.* l. 2. de Poenit. C. 6., *Henriq.* l. 4. C. 24. n. 2., *Gobat* T. 6. n. 293.

Dixi tamen, *per se* loquendo, quia per accidens subinde sufficit propositum *virtuale*, quod includitur in serio dolore, vi cujus poenitens ita constitutus est, ut nolit amplius peccare. 1. Quidem sufficit, dum quis inculpabiliter non cogitat de vita futura, ita tamen dolet de peccatis, ut si quaeretur ex ipso, an posthac velit evitare peccata, serio annuat. 2. Si quis ab elicitu dolore serio statim moriatur, in quo casu impossibile est formale propositum, quod tamen plane abfuisse dici nequit, cum fuerit inclusum in dolore: stante enim illo dolore impossibile erat committi peccatum, adeoque in tali circumstantia sufficienter fuit exclusa voluntas peccandi. Sic videtur conciliari cum nostra aliorum sententia, quod sufficiat virtuale propositum, ut docuerunt *Major*, *Vega*, *Petrus Soto*, *Adrianus*, *Diana* P. 3. t. 4. resol. 116., *Gormaz*, *Cardenas* in 2. Crisi D. 2. n. 80. Ex quibus ad resol. casus respondendum est, quod Kilianus monitus de proposito, prius debuerit serium et efficax elicere propositum.

512. Q. II. An propositum Kiliani censendum sit sufficiens? R. *Negative*; quia propositum ut sit sufficiens, debet esse absolute universale, alias non excluderet omnem voluntatem peccandi de caetero. *Confirm.* Ad propositum requiritur, ut sit efficax, h. e. tale, ut quamdiu existit, cum eo non possit componi voluntas peccandi, ut ait *La Croix* l. c. n. 892.; atqui cum proposito Kiliani, dum existebat, conjuncta erat voluntas peccandi: ergo non erat efficax. Quid? quod ridiculum, illusorium et absurdum videatur hujusmodi propositum conditionatum: quilibet enim consuetudinarius satisfaceret proponendo: Si non habuero occasionem peccandi, non peccabo; si habuero, iterum peccabo. Fur itidem satisfaceret proponendo: Si nihil amplius a proximo potuero auferre, non furabor posthac; secus si potuero. Plura vide infra de munere Confessarii circa defectum propositi in poenitente.

§. III. Principia practica de materia, qualitate et praecepto Confessionis Sacramentalis.

513. *Principium* I. *Confessio sacramentalis est dolorosa peccatorum suorum post baptismum commissorum accusatio facta legitimo Sacerdoti ad eorum remissionem virtute clavium obtinendam.* Unde inferes, quod materia confessionis sint omnia et sola peccata post, non ante baptismum commissa a poenitente. Vide *Trid.* sess. 14. Can. 1. cit. n. 488. Hinc poenitentia recte dicitur *secunda post naufragium tabula*: de qua *Trid.* ibid. can. 2. *Confirm.* Ecclesia in subditorum tantum peccata jurisdictionem exercere potest: atqui baptizati sunt tantum subditi Ecclesiae; ergo in baptizatorum tantum peccata jurisdictionem, ea retinendo vel remittendo, exercere potest. Duplex autem est materia confessionis, scilicet alia *necessaria*, quae necessario subjicienda est clavibus, sive exponenda in confessione: alia *libera*, quae libere exponitur. Materia necessaria sunt peccata mortalia, ita ut omnia quoad numerum et speciem in confessione exprimenda sint; venialia vero sunt materia libera. Vide *Trid.* sess. 14. C. 5. de poenit. ubi ita docet: *Ex his colligitur, oportere a poenitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, etiam si occultissima illa sint, et tantum adversus duo ultima Decalogi praecepta commissa... Nam venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, et in quae frequentius labimur, quamquam recte et uti-*

liter, citraque omnem praesumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt. Ibid. can. 7. ita statuit: *Si quis dixerit, in Sacramento Poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino, confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti praemeditatione habetur, etiam occulta, et quae sunt contra duo ultima Decalogi praecepta, et circumstantias, quae peccati speciem mutant ... aut demum non licere confiteri peccata venialia, anathema sit.* Ideoque venialia sunt etiam sufficiens materia ad impetrandam absolutionem, item peccata jam semel aut saepius confessa, uti ex praxi fidelium eadem peccata saepe repentium patet; haec enim semper sunt, et manent verum doloris et dolorosae accusationis objectum. *Suar.* D. 18. Sect. 4. n. 8. et seqq.

514. *Princip. II.* Si spectetur qualitas confessionis, juxta *Trid.* l. c. c. 5. ea debet esse *integra, aperta et verecunda.* A moralistis plures recensentur qualitates confessionis, quarum aliquae sunt de ejus substantia, scil. ut sit *fidelis, integra et dolorosa*: aliae sunt de perfectione confessionis, quae omnes continentur his versibus:

*Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, et discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, et lacrimabilis, accelerata,
Fortis, et accusans, et sit parere parata.*

515. *Primo,* Confessio debet esse *simplex*, h. e. sine superfluis verbis et impertinentibus narrationibus ac circumstantiis. Recte tamen notat *Bonacina* D. 5. q. 5. S. 2. p. 2. §. 2. n. 1. cum *Henriq.*, hanc conditionem maxime quidem convenientem esse, non tamen necessariam; alias redderetur invalida confessio, si nimis exacta, prolixa et superflua enarratione peccata explicentur, sicut rudiores et scrupulosi solent explicare, ea solum intentione, ut peccata magis et melius declarent.

516. *Secundo, Humilis*, scil. ut poenitens confiteatur peccata sua cum humilitate tum *interna*, agnoscendo statum peccatoris coram Deo, sicut publicanus *Luc.* 18. ex hac agnitione non ausus oculos levare ad coelum, humillimo affectu dixit: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Item sicut filius prodigus *Luc.* 15. *Pater peccavi in coelum, et coram te etc.* Tum *externa*, sine jactantia, sed verbis submissis ac humilibus, et humili corporis compositione: flexis genibus, aperto capite, deposito gladio etc. (nisi aliud necessitas permittat) ut tanquam reus suorum veniam peccatorum petat.

517. *Tertio, Pura*, ut fiat confessio sincero animo, et intentione obtinendi peccatorum veniam, non vero ex malo fine.

518. *Quarto, Fidelis*, sive verax, sine fallacia, deceptione et mendacio, ut poenitens nihil studio omittat, quod commisit, neque aliquid confiteatur, quod non commisit, sed dicat certa pro certis, dubia pro dubiis.

519. *Quinto, Frequens*, sive saepius iterata: quaenam frequentia sit de praecepto, quaenam de consilio, dicitur in resol. cas.

520. *Sexto, Nuda*, sive clara, non palliata verbis adeo obscuris et amphibologicis, ut ex modo proponendi Confessarius nec speciem, nec gravitatem peccati possit dignoscere.

521. *Septimo, Discreta*, sive prudens, qualis erit, si poenitens non afferat ea, quae ad rem non pertinent: si omissa historica totius facti narratione id solummodo dicat, quod exprimit peccati speciem, et simul omnia, quae sunt ejusdem speciei, in unum colligat, eorumque numerum exponat: sic multa brevissime confitebitur peccata. Item ad discretam

confessionem pertinet, ne poenitens aliorum peccata immisceat, complicem prodat.

Peccant in hoc ii, qui ad explicanda peccata propria referunt peccata aliorum, uti solent uxores peccata mariti, famulorum famularumque, et e contra mariti peccata uxorum manifestare, quem abusum Confessarius tollere debet, tum ne ipsemet non impediens ejusmodi detractorias narrationes, cum facile possit, alienae detractionis reus fiat, tum ne poenitens quaerendo veniam peccatorum novam Dei offensam incurrat. *Reginald.* L. 6. n. 3. et 65.

522. *Octavo, Libens*, sive spontanea, voluntaria, non coacta: 1. quidem hoc sensu, quod poenitens debeat habere intentionem saltem implicitam recipiendi Sacramentum: adultus enim absque omni intentione valide non potest suscipere Sacramentum. 2. Ne quis tantum ideo confiteatur, quia aliunde compellitur ad confitendum, quamvis non vitietur confessio, si forte aliquis ex metu infamiae aut poenae tanquam motivo secundario confiteatur, si nihilominus primario intendat consequi remissionem peccatorum. *Stoz* L. 1. p. 3. q. 2. n. 51.

523. *Nono, Verecunda*, ut poenitens erubescat animo de turpitudine peccati et exponat peccata verbis honestis, et modo loquendi utatur verecundo. Cavendum tamen est, ne verecundia eo usque procedat, ut poenitentem posthabito Dei timore et amore inducat ad reticenda peccata. Monet hic *Bonac.* D. 5. q. 4. Sect. 2. punct. 2. n. 19. ne Confessarius deterreat sub ipsa confessione poenitentem verbis duris et asperis, sed reprehensionem, si ea opus esse videatur, potius differat usque ad finem confessionis.

524. *Decimo, Integra*: est autem integritas, quae huc pertinet, duplex, scil. alia materialis, formalis altera. *Materialis* est, quando poenitens omnia peccata mortalia post baptismum commissa, et nunquam confessa, aut nondum legitime expiata, tam quoad numerum, quam quoad speciem, rite confitetur. Haec integritas *per se et regulariter* ad omnem confessionem semper fuit et est necessaria, ut patet ex *Trid.* cit. supra n. 513. *Ratio* ibid. scil. C. 5. sess. 14. subditur: *Constat enim, Sacerdotes judicium hoc, incognita causa, exercere non potuisse, neque aequitatem quidem illos in poenis injungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat, et non potius in specie, ac singillatim sua ipsi peccata declarassent.* Ex iisdem rationibus adhuc *per se* requiritur dicta integritas. *Formalis* est, quando poenitens confitetur quidem aliqua peccata, etsi unum vel alterum, vel ex invincibili oblivione, vel ex alia justa causa omittat. Haec sufficit, quoties poenitens vel physice, vel moraliter est impotens ad confitendum omnia peccata. Hinc supra dixi, quod integritas materialis *per se* loquendo, semper sit necessaria, *necessitate praecepti divini*, scil. quando non excusante justa causa illa potest servari; cum autem hoc praeceptum sit affirmativum, non obligat semper pro semper sive pro omni casu, ideoque urgente justa causa tum saltem necessaria est, et sufficit ad valorem confessionis integritas formalis. Dixi 1. *necessaria est* scil. *necessitate Sacramenti* quia si nullum omnino peccatum exponatur, confessio esset nulla ex defectu materiae. Dixi 2. *et sufficit*, quia si accedente justa causa reticetur aliquod peccatum, et tamen aliud exponatur, adhuc haberetur materia sufficiens ad valorem Sacramenti. Juxta communem a confessionis integritate materiali excusatur: 1. Qui praemisso diligenti examine peccatum, cujus quidem memoriam habuit, sub ipsa confessione obliviscitur, aut qui plane non reminiscitur peccati commissi; ad impossibile enim nemo tenetur. 2. Qui invincibiliter ignorat hunc vel illum actum, cujus quidem

recordatur, esse peccaminosum. 3. Impotens ad exprimendum omnia ob defectum loquelae, vel ignorantiam idiomatis. 4. Prudenter timens sibi, vel Confessario grave ex integra confessione damnum. 5. Excusantur naufragi. 6. Milites mox praeliaturi. 7. Moribundi accelerante morte. Vide resol. cas.

525. *Undecimo, Secreta*, h. e. confessio non fiat coram aliis audientibus, sed coram solo Sacerdote audiente, sive ad aurem Sacerdotis, hinc dicitur *auricularis*: quamvis enim absolute loquendo fieri possit publice, et olim subinde facta sit publice, hodie tamen non amplius in usu est. Vide *Trid.* sess. 14. de poenit. C. 5. Decipiuntur etiam illi, qui putant, quatuor primis saeculis obligationem fuisse publice confitendi peccata mortalia etiam occulta, ut patet ex Epist. 36. alias 80. *S. Leonis Papae* (qui sedit ab anno 440. usque ad annum 461.) ubi ita habet: *Illam etiam contra Apostolicam regulam praesumptionem, quam nuper agnovi a quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submoventi, ne videlicet de singulorum peccatorum genere, libello scripta professio publicetur, cum reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicare confessione secreta.*

526. *Duodecimo, Lacrymabilis*, h. e. cum vero animi dolore ac detestatione peccatorum, et proposito, non vero quod necessario debeat fieri confessio cum lacrymis, suspiriis externis, lamentis, ejulationibus, ut in §. praeced. dictum est.

527. *Tertiodecimo, Accelerata*, h. e. non nimium differatur; poenitentia enim sera est raro vera.

528. *Quartodecimo, Fortis*, ut poenitens vincat respectum, ut vocant humanum, noxium confitendi pudorem, aliasque difficultates, de quibus *Trid.* l. c. ait: *Ipsa hujusmodi confessionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia, gravis quidem videri posset, nisi tot tantisque commodis et consolationibus levaretur, quae omnibus digne ad hoc Sacramentum accedentibus per absolutionem certissime conferuntur.*

529. *Quintodecimo, Accusans*, h. e. 1. propriae malae voluntati imputans peccata, non complexioni naturali, multo minus defectui auxilii divini, consequenter nec Deo, quod esset blasphemum cogitare. 2. *Accusans*, non excusans peccata sua, nisi vere subsit causa excusans a gravitate peccati v. g. ignorantia, inadvertentia etc. 3. *Accusans se*, non alios. De complice dicitur infra.

530. *Sextodecimo, Parere parata*, h. e. acceptet poenitens tum injunctam a Confessario poenitentiam, tum salutaria monita, instructionem, media emendandi vitam etc.

Denique notandum, quod effectus confessionis hoc versu continentur:

Abluit, absolvit, sanat, corroborat, ornat.

Abluit scilicet culpam, absolvit a poena aeterna, sanat animae vulnera, corroborat per auxilia gratiae, ornat habitu virtutum infusarum.

531. *Princip. III.* Confessio sacramentalis necessaria est hominibus post baptismum in peccatum mortale lapsis, necessitate praecepti divini, et ecclesiastici. *Prob. primum* ex *Trid.* sess. 14. C. 5. ubi ita docet: *Ex institutione Sacramenti Poenitentiae ... universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse a Domino integram peccatorum confessionem, et omnibus post Baptismum lapsis jure divino necessariam existere.* Idem statuitur, can. 7. cit. n. 513. et 524. Ibid. can. 6. ita habetur: *Si quis negaverit, confessionem sacramentalem, vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino, aut dixerit, modum secretae confitendi soli Sacerdoti, quem Eccle-*

sia Catholica ab initio semper observavit et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi, et inventum esse humanum, anathema sit. *Confirm.* 1. Christus *Joan.* 20. Apostolis dedit potestatem judicariam remittendi et retinendi peccata; ergo hoc ipso imposuit fidelibus praeceptum confitendi peccata. Judex enim non potest ferre judicium de peccatis, nisi haec illi innotescant. *Confirm.* 2. ex perpetuo usu et sensu Ecclesiae Graecae et Latinae. Quid? quod hic usus jam indicetur in *Actis Apostolorum* C. 19. v. 18. *Multique credentium veniebant confitentes et annuntiantes actus suos.* Ejusdem meminit *S. Jacobus* in sua epist. C. 5. *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra*, h. e. homines hominibus ad hoc ministerium ordinatis, scil. Presbyteris. *Confirm.* 3. ex eo, quod si confessio non esset de jure divino, incredibile foret, viros summos, ipsos Pontifices, Imperatores, Reges, Principes, aliosque sagacissimos, superbissimos, etiam improbissimos ad peccata gravissima, simulque occultissima simplici alicui Sacerdoti cum tanta saepe anxietate, humilitate et dolore manifestanda potuisse adduci. Recte proinde *Henricus VIII. Rex Angliae* in assertione septima Sacramentorum dixit: *Si humana ea lex fuisset* (scil. de confessione auriculari), *vel acceptata illa nunquam fuisset, vel aliquando in ea fuisset dispensatum cum viris principibus.* Recte etiam damnat *Trid.* l. c. can. 7. illam doctrinam, quae asserit, *confessionem tantum esse utilem ad erudiendum et consolandum poenitentem, et olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem canonicam imponendam.*

532. Non tamen semper necessaria est ad remissionem peccatorum confessio sacramentalis *in re*, sed, quando fieri non potest reipsa, sufficit *in voto*, scil. per actum contritionis, vel charitatis *perfectae*; qui enim perfecte Deum diligit, vel ex motivo perfectae charitatis conteritur, paratus est ad servanda omnia mandata, ideoque etiam vel explicite vel implicite paratus est ad implendum praeceptum confessionis.

533. *Neque dicas*: per contritionem perfectam, vel actum charitatis perfectae homo accipit remissionem peccatorum, et justificatur; ergo frustra adhuc ea confitetur ad impetrandam remissionem. R. D. A. Accipit remissionem manente tamen obligatione peccata confitendi, dum datur copia Confessarii, et urget praeceptum confitendi C. Accipit remissionem peccatorum, et liberationem ab obligatione confitendi N. Ant. et Cons. *Vide Theol. Scholast.*

534. Probat etiam *secundum* de necessitate confessionis ex praecepto ecclesiastico, quod habetur c. *Omnis utriusque sexus*, de Poenit. et Remis. ex *Conc. Later.* et in C. *Trid.* sess. 14. c. 8., vi cujus omnes et singuli utriusque sexus Christi fideles tenentur semel in anno confiteri, postquam ad annos discretionis pervenerint.

535. Porro *observa* 1. Praeceptum confitendi licet non statim obliget post commissum peccatum, obligat tamen, ne nimis diu differatur confessio. 2. Praeceptum confitendi etiam obligat per se in mortis articulo, sive in quolibet probabili vitae periculo; si quis tamen tunc nequeat confiteri, tenetur elicere contritionem perfectam, manente obligatione confitendi, si postea adhuc possit confiteri; quilibet enim tenetur lege tum naturali, tum divina adhibere medium a Deo ordinatum ad consequendam salutem aeternam. De obligatione confitendi ante celebrationem Missae, et sumptionem Eucharistiae, si quis sit in statu peccati mortalis, vide dicta C. praeced. et n. 54.

Resolvuntur Casus.

CASUS I. De materia confessionis.

Leo Judaeus nuper baptizatus confitetur, quod a suscepto baptismo nullum peccatum commiserit: addit praeterea, quod ante susceptum baptismum multa injuste acquisita possederit; quaerit Confessarius, an saltem nunc restituerit: respondet Leo: Instructori meo id quidem promisi, sed sub ipso baptismo mutavi animum, volens injuste possessa retinere.

536. Q. I. An Leo (ex supposito quod non habuerit peccatum post baptismum) debuerit confiteri peccatum ante baptismum commissum? R. *Negative*; quia peccata ante baptismum commissa et ipsum originale non sunt materia apta confessionis sacramentalis. *Trid.* enim sess. 6. C. 14. et sess. 14. C. 1. 2. 3. et 4. et can. 1. constanter tenet, Sacramentum poenitentiae ex institutione Christi esse pro peccatis post baptismum commissis. Vide dicta n. 513. et propos. 19. ab *Alex. VIII.* damnata. *Ratio* est: quia juxta *Trid.* sess. 5. per baptismum ita tollitur id, quod veram et propriam rationem peccati habet, ut nihil prorsus in renatis supersit, quod eos ab ingressu coeli remoretur: ergo falsum est, quod post baptismum opus adhuc sit satisfactione nostra pro peccato originali; ergo etiam falsum est, quod homo debeat agere tota vita poenitentiam pro peccato originali. *Viva* in dicta propos.

537. Q. II. An Leo debuerit confiteri peccatum sub ipso baptismo commissum? R. *Affirmative*: quia in primo instanti baptismi jam erat fidelis, et subditus Ecclesiae quoad primum esse, sicut in primo instanti, quo quis peccat, est peccator. Deinde peccatum sub ipso baptismo commissum, vel continuatum impedit baptismi effectum: ergo non potest tolli per baptismum; ergo debet tolli per medium praeter baptismum institutum, scil. per Sacramentum poenitentiae. *Palao* T. 23. D. un. punct. 6. n. 2.

538. Q. III. Quomodo ergo tolluntur peccata commissa ante baptismum susceptum cum obice? R. Per dolorem supernaturalem; cum enim per hunc retractentur, reviviscit baptismus, et reviviscens omnia tollit peccata ante baptismum susceptum commissa: indigna autem susceptio baptismi et alia peccata, quae sub vel post baptismum commissa sunt, exponi debent in confessione. Vide *S. Thom.* 3. P. q. 69. a. 10.

539. Q. IV. An similis ratio habenda sit de peccatis in haeresi commissis, sicut de peccatis ante baptismum admissis? R. *Negative*; quia peccata in haeresi commissa, uti et ipsa haeresis sunt materia confessionis, quae secundum praxim facienda est post emissam fidei professionem: haeretici enim per baptismum subjiciuntur Ecclesiae.

CASUS II.

Ludgardis Monialis se accusat, quod minus fervide responderit divinis inspirationibus: non fecerit bona, quae potuit: quod passa sit graves tentationes ad blasphemias contra Deum, quibus tamen non consensit; in fine addit: Accuso me de venialibus, quae per vitam commisi.

540. Q. I. An solae imperfectiones (quales sunt, non respondere singulis inspirationibus divinis, manere primam cogitationem non habere de Deo, infringere propositum, vel regulam sub peccato non obligantem, et similia) sint materia confessionis? R. *Negative*. *Ratio* est, quia de se non sunt peccata; ergo in illis *solis* non verificatur forma absolutionis. Nihilominus Confessarius in iis exponendis non debet facile impedire confitentem, nisi sit scrupulosus, aut alia ratio obstet. *Ratio* est: quia earum expositio servit ad exercendam humilitatem, et saepius imperfectiones habent ad-

junctum peccatum veniale, v. g. delectationis pure sensualis, impatientiae, negligentiae, otiositatis culpabilis etc. Idem dicendum est de transgressionibus regularum in religioso ordine, ubi illae non obligant sub peccato. *Lessius, Dicast., Jansen.* P. 2. cas. 97. n. 1.; addi tamen debet materia certa, v. g. peccatum ex praeteritis confessionibus.

541. Q. II. An proclivitas ad malum, v. g. ad iram, superbiam etc. item an tentationes ad malum sint materia confessionis? R. *Negative*: quia nec proclivitas, nec tentationes ad malum nobis sunt liberae; ergo de se, nisi accedat consensus, etiam non sunt peccata; solent tamen tentationes subinde manifestare pii fideles non quidem in ordine ad absolutionem, sed ad melius explicandum conscientiae suae statum. De consensu requisito ad peccatum egimus in P. 1. n. 282. 293. De signis praestiti consensus ibid. n. 296. et 297.

542. Q. III. An possit absolvi Ludgardis, confitens in genere peccata venialia, quin meminisse potuerit, quanam fuerint in specie? R. *Affirmative*; quia praebet materiam absolute sufficientem. Nec obstat, quod haec materia non sit determinata secundum speciem, uti requirit *Trid.*, quia Ludgardis tantum exprimit speciem, quantum potest, si enim aliud specificum certum peccatum nosset, utique tutius foret, illud addere. Eodem modo resolvit *Escobar* Theol. moral. L. 15. problem. 46. n. 208. de aegroto, qui circa mortis articulum solum aperuit Confessario veniale in communi. Pariter juxta *Sbogar* Tr. 35. C. 3. n. 22. et *Bassaeum*, si quis sciat, se graviter peccasse in genere, oblitus tamen sit speciem peccati, tenetur se accusare de tali peccato eo modo, quo est in conscientia, quia jam adest materia certa peccati, licet ignoretur species. Hinc *per se* quidem ad formandum rectum iudicium requiritur notitia peccati secundum speciem et numerum; per accidens tamen sufficere videtur iudicium circa peccatum in genere expositum, quamdiu ejus notitia secundum speciem haberi non potest.

543. Quid, si Confessarius dubitet, an peccatum poenitentis sit mortale vel veniale? Respondet ibi n. 21. *Sbogar*, quod eum debeat absolvere, quia jam habet materiam certam in genere moris, licet non in qualitate peccati.

CASUS III.

Landulphus singulis annis facit confessionem generalem de tota vita, et dum singulis hebdomadis confitetur, peccatis ab ultima confessione commissis confuse immiscet quaedam peccata graviora jam saepius confessa, dubia vero nunquam confitetur.

544. Q. I. An confessio generalis de tota vita sit necessaria? R. Ex supposito, quod quis omnia mortalia jam semel modo debito fuerit confessus, non est necessaria: quia sic poenitens satisfecit praecepto divino de confitendis mortalibus, et hoc ipso, quod omnia fuerit dolose confessus, remissa sunt; necessaria vero est, si praecesserint confessiones culpabiliter invalidae, saltem ab ultima invalida confessione. Dixi: si *culpabiliter* etc. quando enim inculpabiliter aliquod peccatum grave fuit omissum, sufficit illud in proxima confessione exponere, quin jam exposita repetantur. Dixi etiam, *necessaria non est confessio generalis*; absque dubio enim valde expedit repetere per confessionem generalem peccata (excipe scrupulosos, quibus ea repetitio magis auget scrupulos); tum quia id conducit ad se humiliandum, tum quia sic facile defectus occulti supplentur. Ita *Comm.* addit *Laym.* L. 5. t. 6. C. 3. n. 5. non esse novum peccatum, si quis in confessione generali unum alterumve peccatum grave omittat, quod jam legitime confessus est: quia eo ipso non amplius sunt materia necessaria. Porro ad directionem eorum, qui volunt generaliter confiteri,